



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.42. S. Richardus Cicestriensis moritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](#)

§. XLII.

Sæcul.XIII.
A.C.1253.*S. Richardus Ciceſtriensis moritur.*

Hoc anno celebres duos Episcopos Angliæ mors abstulit Richardum Ciceſtriensem ac Robertum Lincolnensem. Ille a Papa jussus populos ad crucis militiam pro Palæstina accendere, ab Ecclesia sua duxit initium : & maritimis in locis hoc fungens munere Cantuariam, tum Dorobernium venit jam decem diebus æger. Nec tamen labore abstitit: sed quotidie dicebat e suggestu, & sacramenta Poenitentiæ, Confirmationis, ac Ordinum administrabat, donec cunctis viribus exhaustus esset. Dorobernii, cum in hospitali domo habitaret, ab ejus Præfecto rogatus, ut cœmeterii ædiculam in honorem S. Edmundi Cantuariensis exstructam dedicaret, fecit cum gaudio, ac de his ceremoniis verba faciens, Quamdiu sum Episcopus, inquietabat, ardenter cupiū unum saltem templum sancto Domino meo consecrare, priusquam morerer. Deo gratias ago, quod desiderium meum frustratus non sit. Scio mortem imminere mihi, quam in vestras commendo preces.

Altero die sacrum audiens subita animi defectione concidit. Missus in lectum, M. Par. se inde non surrectum dixit, jussitque p. 744. 747.

G 4

suas

Sæcul. XIII.
A.C. 1253.

suas exequias præparari. Reapse triduo post animam efflavit die lunæ 3 Apr. 1253 quinquagesimum sextum circiter ætatis annum, Episcopatus nonum agens, si ab ejus electione ordiamur numerum. Corpus Cicestriam relatum, & in templo Cathedrali ad aram, quam ille S. Edmundo dicaverat, humatum est, ubi deinde multa fiebant miracula. Et vero post annos novem Papa Urbanus IV. cœlestes illi publicosque honores decrevit, nimirum 20 Febr. 1262 & Ecclesia die mortis ejusdem memoriam colit.

Mart. Rom.
3. Apr.

§. XLIII.

Robert Capitonis de curia Romana querimoniæ.

Id. p. 749.

Robertus Capito Episcopus Lincolniensis famam nomenque collegerat puritate vitæ, doctrina, morumque probitatis ac disciplinæ studio: sed hoc amara verborum immoderatione maculavit. Hoc ipso anno, cum præceptum Pontificium, quod justum non censuit, accepisset, Episcopis, qui hoc ipsi miserant, ita scripsit: Apostolicis mandatis reverenter obedio. Sed iis contraria pro sanctæ Sedis honore abnuo. Utrumque me jubet Deus. Apostolica vero mandata non possunt esse talia, ni consentanea sint doctrinæ Apostolorum & ipsius JESU Christi,